

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
THERAPIA
PELLAGRAE,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,
nec non

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM D. D.
PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE
ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA SCIENTIARUM

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

Angelus Roncali;

ITALUS BERGOMENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die mensis Maji 1831.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

PRAECLARO AC CELEBERRIMO

VIRO

DOMINO DOMINO

FRANCISCO NOBILI AB **HILDENBRAND,**

**MEDICINAE DOCTORI, ARTIS OCULARIAE
MAGISTRO**

**PATHOLOGIAE ET THERAPIAE SPECIALIS
INSTITUTI CLINICI IN CELEBERRIMO**

**I. R. ATHENEO TICINENSI JAM PROFESSORI P. O. AC NOSOCOMII
BREPHTROPHEIQUE DIRECTORI
SUMME EMERITO**

NUNC IN

**INCLITA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE
VINDOBONENSI**

PRAEAEOS CLINICAE

PROFESSORI P. O.

**INGENIO DOCTRINA VIRTUTE FACUNDIA
PRAESTANTISSIMO**

ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE

NATURAE CURIOSORUM

**SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE BONNENSIS, ACADEMIAE TAURINENSIS,
NEAPOLITANÆ, BEROLINENSIS, SODALI etc. etc.**

Vir Spectabilissime!

Quid Ephebis vix emensis humeri ferre valeant, quod exiguum opus Tibi sacrum exopto, et TIBI non latet. Eam tamen nobilissimam humanitatem, quae TIBI discipulorum Patris nomen jure emeruit, qua tot, et adversos, suavi vinculo TIBI animos vinxisti, eam dico, munusculo, omni quamvis merito carenti, adversam haud pavet animus.

Superbiat ergo, quaeso, libellus hoc peroptatissimo, unico forsitan, quo pollet ornamento, quod tanti TUI nominis clypeo insignetur.

Possint felicitati tuae vota mea, imo ex pectore deprompta, ingenuo gratitudinis sensu emissa, Orobico firma fervore.

Tantam sospitent Superi Sobolem, TE Hippocraticae artis Decus insigne, TE sidus fulgidissimum horizontis patrii, heu citius occasum attactum, hic, et post funera splendiori luce micaturum!

Devinctissimus discipulus
Angelus Roncali.

Plura age, nihil interdum agendo.

Knips Macoppe. Aphor. 9. p. 22.



Generalia de Pellagra.

Morbus quidem endemicus, chronicus universalis, a medio circiter saeculo Italiae fertilitate et deliciis superbiores regiones dira vexans pertinacitate et saevitia, symptomatibus fere propriis in systemate dermatico, chylo-poetico, et sensifero adparentibus stipatus, qui, quamvis nobiliori civium classi parceat, utilissimae tamen et per quam necessariae, agricolarum nempe tribui excidia affert, de cujus causis et essentia adhuc inter perspicaciores medicos disputatur, Pellagra, ab Italo verbo *pellarsi* nuncupatus fuit.

Silere prosit, ne inutilia addam, de controversiis circa tempus originis hujusce cladis ventilatis: oblivioni tradita ergo quorundam paucorum sententia, qui morbum antiquissimum Pellagram volunt, eam potius observationibus confirmatam recentiorum amplectamur, qui morbum omnino novum eam praedicant, cujus lenta et non bene adhuc perspecta origo ad initium saeculi transacti refertur. Medicorum tamen attentionem solummodo circa annum 1770 sibi conversit, et primum in agro Mediolanensi, deinde in Bellunensi observata et descripta est.

Scriptores medici, qui de hoc morbo tractaverunt, quamvis inter se variis digladiantur sententiis, quoad ejus naturam, causas, Therapiam etc., in unum tamen omnes fere conveniunt, in hujusce cladis phaenomenorum syndrome lacrymabili delineanda. Liceat de hac aliquid breviter exponere.

Individua, quae vel haereditariam, vel acquisitam Pellagrae dispositionem manifestant, vernali sub aequinoctio paulatim lassitudine universalis corripiuntur; fiunt tristes, morosi, consuetis recusant incumbere ruris officiis, dysphoriam subinde et inappetentiam accusant, ac levi deinde febricula adficiuntur. Cutis postea foeditas adparet, et quidem sub schemate erythematis, coloris rosei, habitus erysipelacei, levi plerumque ardoris, tensionis, et pruritus sensu praegressa. Manuum dorsum fere constanter hujusce eruptionis sedes est, sed et aliae corporis plagae, nudaе, ac solis radiis continuo expositae, quandoque corripiuntur, sicuti pedum dorsa, facies, collum, et sternum. Praeterlapso autem aliquot hebdomadam vel mensium intervallo, epidermis incrassata et fusca in desquamationem abit, cutim relinquens integram, levigatam, nitidam, sensibilem, coloris rosei.

Diligentissimo hujusce morbi observatore teste *) aliquando erythematis istius loco, alia animadversus est cutanea phaenomena, sicuti

*) Strambio.

ephelides in fronte, echimoses in parte posteriore et externa cubiti, papulas prurientes super genas, quandoque corpus totum obvestientes, furfurationem capillitii, urticariam, miliaria, etc. etc.

Istis omnibus elapsis, reliqua anni parte prosperam gerunt Pellagrosi valetudinem, sed proximo redeunte aequinoctio vernali, vel aliquo etiam interposito eadem sub forma invadit morbus, sed manifestioribus jam sociatus turbis munera praesertim officinae organico-plasticae laesa ostendentibus.

Et quidem cum erythemate, quo cutis nunc aspera, caperata et fissa, nunc coriacea, nunc nitens, nunc quasi adusta fit, nunc pemphigodem formam vestiens, ulcera relinquens, teterima malorum caterva miserum obruit, illum praecipue, qui morbi primordia neglexit.

Hinc kephalaea, cardialgia, sensus ponderis et ardoris in ventriculo, adpetitus saepe prostratus, saepe dira bulimia vexatus, colicae, borborygmi, alvus nunc oppilata, nunc diarrhoea saepe indomabilis animadvertuntur. Sensus intolerabilis flammae oesophagum, fauces, et oris cavitatem cruciat, quo sitis rabida suscitatur; aphtae palatum cooperiunt, in ulcera mali moris abeuntia; gingivae tumescunt, et pene scorbuticae sanguinem facile plorant, dentibusque vacillantibus debile sistunt fulcimentum. Parotides tument et largam effundunt salivae copiam, lingua rhagadibus vel fissuris deformatur, anima foetet. Humor muculentus copiosus saepe ex

oculis et naribus stillat; catameniorum fluxus turbatur in feminis et eorum locum ichoris exulcerantis fluxus occupat *).

Dolores praeterea acerbos, pervicacissimosque, solis radiis exacerbandos ab oculis et syncipite incipientes et per columnam vertebralem ad pedum plantas usque sese extendentes, accusant Pellagrosi, quibus continua et dira damnantur vigilia.

Debilitas quandoque tanta et talis, ut ad paralysem accedat, et saepe solus artuum tremor misellorum vitam enunciat. Obtutus eorum fit tristis, fixus, quandoque hominis pavore perculsi instar exterefacti adparent. Pertinax scotodinia gressum certum illis vetat; Diplopia, Photopsia, Amaurosis visum hebetant. Spasmi nunc tonici, nunc clonici, modo tetanum in omnibus suis formis, modo Choream nervosam, vel epilepsiam simulant. Phaenomenorum nervosorum turbae tales quandoque observantur ut Hysteriasim in homine Pellagroso praedicares: hinc hallucinationes varii generis, sensus globi hysterici in oesophago, appetitus depravatio, sensationes extraneae, caloris, frigoris, aquae per dorsum fluentis, auditus sonum curri, tintinnabuli, tympani etc. ludit.

Hic tamen non sistunt nobilioris systematis manifestationes morbosae. Praeter phaenomena multa, quae plerumque psychopathiarum schemate obducuntur, uti idiotismus, mania reli-

*) Zanetti et Perinelli.

giosa etc. non raro animadvertitur aponia, ane-
stesia melanconica, et tactus hebetudo; inter
alias autem frequentissima est Anopia, talis nem-
pe animi obstupescens adiaphoria, ut aegri
omni fere voluntate carentes adtoniti et quasi
extatici cernantur. Alii moerore alto adfligun-
tur, (Lypemania) praesertim feminae, quae so-
cietatem fugiunt, flent, mussitant, et de salute
physica vel morali desperantes, suicidio vitam
truncare conantur *).

Hisce summum gradum adeptis, aegri vel
fiunt maniaci, et si libertas illis non denegatur
mortem per submersionem sibi consciscere ten-
tant, quod et nobis jam bis occasio data fuit
observandi, vel si ars medica pro tempore au-
xilium suum non praebuit, vel, quod saepius
fit, frustraneos exercuit, conatus, et morbus
jam tantam in organismo paravit labem; cache-
xiae variae suboriuntur inter quas frequentio-
res hydropes, scorbutus, marasmus, multifaria
profluvia colliquativa, tabes, febres hecticae
nec raro gangraena sacralis lacrymabilem clau-
dunt scenam. Nec minus mirabile, quae a qui-
busdam adnotatur Pellagrosorum consumptio,
emaciatio nempe talis quandoque observatur, ut
aeger mumiae vel scheletri magis, quam homi-
nis vivi imaginem refert. En quousque indefes-
sus, utilissimus colonus hac perducitur clade!

Quaenam tanti excidii in causa sint momen-

*) Hildenbrand Annales Scholae Clinicae Ticinensis. Pars I. p. 403.

ta et peragitatissimum disputationum argumentum inter medicos fuit. Hinc Zeam Mays quidam unice accusaverunt, insolationem, sal culinare, contagium specificum alii etc. sed una cum eximio Prof. *Nob. ab Hildenbrand*, qui de hoc morbo elegantissimo et classico calamo diseruit, credendo, conveniunt medici complures, quod non unica tantum causa, sed multae simul malignitate et effectu adfines, Pellagrosam labem inducere valeant, sicuti insolatio, atmosphaera mephitica, prava vivendi ratio, animi pathemata, miseria, etc. quarum primae, insolationi, nempe, quae germen in organismi penentralibus occulte delitescens animando ejusque surculos versus corporis peripheriam dirigendo, vim tribuitur, statui cacodermatico ceu morbi formae producendo conferre, reliquae contra illam systematis reproductivi labem cacotrophicam prolliciunt, quae morbi essentiam, sive, uti dicunt, conditionem Pathologicam constituit *).

Parcit morbus populatis urbibus, pagos et villas rusticanas potius ingruit, magis magisque de die inter eas extensione et saevitia crescit. Per eminentiam coloni succumbunt, quibus officia majoris momenti, magis ardua et necessaria agri incumbunt; hinc aratores, foenisecae, segetum pratorum irriguorum, et oryzariorum cultores, atque hydrophylaces, qui fossas inciles custodiunt et moderantur **).

*) Hildenbrand Loc. cit.

**) Hildenbrand Loc. cit.

Quid demum dicendum, si quis, quid sit Pellagra quaereret? Plerique hujusce morbi scriptores ad istum alliserunt scopulum. Nonnulli simplicem cutis adfectionem consideraverunt Pellagram; alii scorbuti speciem; cerebri, medullae spinalis et nervorum clandestinam phlogosin alii; nonnulli morbum naturae et originis non perspectae, alii morbum „*Di diatesi di stimolo*“, denuo alii, *di diatesi di contro-stimolo etc.*”

Celeberrimi Professoris *Fanzagi* sententia, quam et hodie plerique adhuc amplectuntur; ita sonat: „La principale causa della Pellagra „sembra piuttosto consistere in uno stato atoni- „co dello stomaco e del tubo intestinale, il qua- „le poi si comunica agli altri visceri del basso „ventre, a quelli segnatamente, che costituis- „cono il così detto sistema chilopoetico d'onde „poi ne deriva la degeneratione dei liquidi „diversi, che agli intestini perennemente con- „corrono.”

Causa primitiva Pellagrae, ait *Strambius*, sistit in statu torporis filamentorum nervorum spinalium, et forsitan etiam sphaerae gangliaris, qui mucosam membranam tubi gastro-enterici penetrant, ex quo debilitatis phaenomena sphaerae muscularis tam voluntati subditae quam non, deducuntur. Si status iste torporis ad cerebrum usque serpit, debilitatis nervosae indicia profert uti anestesia, lypemania etc., si ad cutim desquamationem producit. Status postea irritativus (*Geronimi*) eum excipit in sphaera praecipue nerveo-

spinali residente, unde spasmi, bulimia, scelotirbe etc. Status denique iste irritativus phlogosim erysipelatosam abdominalem suscitatur, quae nunc recurrentem nunc chronicam, nunc acutam se prodit, et ad alios serpit membranosos adparatus uti peritoneum, pleuram, et mucosa organorum pneumaticorum velamenta. Si haec sub acutae gastro-enteritidis schemate se prodit per sympatiarum vinculum acutam meningitidem et delirium acutum, seu typhum sic dictum Pellagrosum causatur, qui quandoque a meningitide spinali, per velamentorum contiguitatem, ad cerebri meninges phlogosi delata, ortum suum habere potest. Ita Pellagrosi qui laesionibus abdominalibus et thoracicis immunes se subtrahunt, febris hac ardentissima, typho Pellagroso, consumuntur. Status ergo irritativus filamentorum spinalium mucosae membranae tubi enterici ejusdem phlogosim lentam vel chronicam concitat. Conditioni autem irritativae nervorum spinalium antea vel eo eodem tempore quo et gastro-enteritis jam orta est, lenta succedit phlogosis in ipsorum nervorum spinalium nevrilematae, et medullae spinalis tunicis, et status iste irritativus, unica et vera primitiva causa proxima Pellagrae consideranda est. Hanc juxta sententiam, Mania Pellagrosa ex triplici fonte oriri potest nempe ex adfectione inflammatoria tubi enterici, medullae spinalis, et cerebri *).

*) Strambio (Gilius) Dissertazione sulla natura, cagioni, e sede della pellagra

Recentiorum quam plurimi diligentissimis symptomatum observationibus et autopsiis innixi et evicti, nil aliud esse docent Pellagram quam lentam membranarum mucosarum adparatus gastrici phlogosim specificam, specificis inductam causis, quae inde et ad serosa velamenta propagatur, cutim et systema sensiferum in morbosum consensum trahit, quod per philadelphiae et sympathiarum lusum inter ista systemata vigentem explicant.

Cum aliis morbis quibusdam similitudinem aliquam ostendere, et cum ea confundi posse Pellagram, rati sunt quidam, sicuti cum scorbuto, elephantiasi, miliari, Rosa asturiensi, Raphania, et Hypochondria, et illam ab istis affectionibus probe et exacte distinguere tempus et vires impendere opus frustraneum non credidere, a quibus tamen toto coelo differt, et revera mirandum, quod etiam nuper ephemeridis cujusdam medicae, caeteroquin maxime habendae, multas adhuc inquinare potuisset paginas, haec omnino inanis quaestio *).

T h e r a p i a .

Hisce breviter perspectis, qualis nunc therapia huic adcommodanda sit morbo exponendum. Sed post tot et tam dissentientes opiniones auctorum rationalem et directam Pellagrae therapiam extruere perdifficile opus Medicis jam fuisse elucet. Et revera cum ejus originem

*) Annali d'Omodici.

et naturam pertinaciter in infinita serie fomitum morbosorum somniatorum, vel in doctrinis irritabilitatis Hallerianae, aut Brownianae excitabilitatis; vel in Rasoriano controstimulo quae-sivissent, id evenire necessario debuit, ut unusquisque medicorum suo videndi modo morbum peculiarem sibi effingere credidisset; neque ideo mirandum, si Pellagrae cura plurimis, et sibi oppositis omnino methodis instituta fuerit. Neque rudis hic defuit empirismus, quia cum morbum indolis et naturae nondum perspectae compellissent aliqui, ita innumera specifica remedia jactata fuere, quorum adhuc nonnulla inscia plebecula celebrat. Insuper cum etiam morbi decursus aliqua quandoque procedat, irregularitate, et quandam inconstantiam in ejusdem symptomatum apparitione observetur, nam nunc phaenomena gastrica, nunc nervosa, nunc cutanea per se sola incipiant, nunc ab omnibus simul obruatur aeger, nunc aliis omnibus silentibus erythema cutaneum solum adparet, saepius per annos recurrit, quin aliquid aliud accuset aeger; cum sphaerae diversae nunc per se solum, nunc sociatim patiantur, cum denique haec symptomata nunc atoniae ad paralysem accedentis, nunc irritationis inflammatoriae, nunc efficientiae nervosae a norma aberrantis indicia patefacere videret, ita ut morbi valde proteiformis formam praeberet; ita compertum habemus, quia in designandis stadiis, et unicuique istorum in curae methodo adplicanda tantum dissentiant inter se auctores, et quam difficile abso-

lute directam adaptare therapiam fuisset. Si itaque non directa, rationalis duntaxat erit illa, quae experientia teste morbi naturae, causis, et effectibus prospicere valet, et quam nunc exponere conabor.

Sententia itaque plurimorum admissa, nempe quod Pellagra, uti jam notavimus, sub forma, lentae Enteritidis decurrat, vel saltem quod statum irritativum aut subinflammatorium fistulae gastro-entericae praecipue praebeat, huic peculiari morbosae formae respectu habito, medendi methodum nunc exponendum.

Prima et cardinalis indicatio, quae in omni morbo occurrit, causas excitantes e medio tollere praecipit. Eo igitur momento ipso, quo medicus prima morbi indicia animadvertit, scilicet erythema, cutis pruritus, dysphoriam, languorem, inappetentiam etc. ejus maxima sit sollicitudo ab aegro ea omnia avertere, quae morbi origini et incremento favent. Ut aeger ergo ab omni rurali labore confestim vacare possit, et si non lectum, domum saltem castigate servet, et si phaenomenorum syndromen gravitate non excedit, domesticis, quin tamen graviora sint, incumbat officiis, medentis sollicitudo esto. Ad statum organorum abdominalium sedulo animum convertere oportet, ut eorum conditio eruatur pathologica. Praesentia saburrae Emesin, aut Catharsin, vel, quod crebrius accidit, (prima tamen plerumque praemissa), ambo postulat nisi graviora eorum usui reluctantur impedimenta. Cum Ipecacuanha prae-

primis vomitum, alvum autem eccoproticis mitissimis, manna, tamarindo, prunis, et enematis emollientibus ciere placet. Sensus ardoris vel ponderis in ventriculo, aut sordium intestinalium signa de necessitate primam, vel secundam repetendi dijudicant. Turbae etiam nervosae. si adsunt, sicuti ab initio non valde notabiles virtute antagonistica emetici quidem sopiuntur.

Lentae et clandestinae phlogosi in intestinorum tunicis nidulanti occurrendum modo venit. Methodus ergo antiphlogistica casui cuique singulo, extensioni, gradui et characteri febris concomitantis, si viget, adcommodata medebitur. Cum tamen haec ultima raro magni momenti sit et genuinae inflammationis effigiem vix praebeat, et cum phlogosis haec tardo procedat gressu, ita cura anti-inflammatoria plerumque mitissima in usum trahenda; emetica, ergo et purgantia plerumque satis praestant, quin hirudinum et venaesectionis necessitas urgeat. Emollientia blanda, demulcentia generatim interne adhibita, sicuti emulsa, decocta mucilaginosae, Althaea, Verbascum, Salep, mixturae oleosae etc. nec non, si ab abdominis phaenomenorum reliquorum asperitudine requirantur, cataplasmata anodyna, clysteres emollientes, semicupia, et ista per aliquod tempus continuata, indicationum therapeuticarum paginam hoc in casu absolvere, et illum phlogoseos gradum tollere plerumque sufficiunt. Eadem illa die incipiendo, quo prima morbi initia apparuere, consuetis abdicare debet cibus aeger, praesertim il-

lis Zea Mays confectis, cui si non omnino criminandam Pellagrae causam tribuimus, suam tamen quoad confectionis modum et formam symbolam conferre non dubitamus, sicuti rite animadvertit *Triberti* *), atque *Cerri*. Pultacea, farinosa, leguminosa, rancida etc. omnino recuset, a vino, aromatibus et carnibus calefacientibus abstineat aeger, cui levia juscula carniū recenter enecatorum animalium cum paucis oryzae granis vel cum pane ex optima tritici farina confecto sufficere possunt, in primis saltem diebus, tamquam congruum nutrimentum. Moderatis ita sphaerae organico-plasticae turbis et ejus functionibus pro parte ad normam reductis, aegrum lacteae sic dictae curae subjiciendum. Celeberrimus Prof. *Fanzago*, Athenei Patavini decus et auspex egregius, qui plura ad lectulos Pellagrosorum pericula et observationes instituit, magnum semper habuisse et habere emolumentum ex lactis usu hoc in morbo candide confitetur, ejusque usum commendare hactenus non desinit. An blanda, qua intestina irrigat mulcedine, et eorum sopiat irritationem, an sua in Pellagra virtute specifica in organorum entericorum morbosa conditione corrigenda explicandum, arduum foret judicium. Experientia ejus vim medicatam confirmavit, ejus sequantur jussa. Praemissa igitur per aliquot dies diaeta quidquam nutriente, vel, si hoc non sufficeret, alicujus roborantis ope tonum ventriculi et intesti-

*) Giornale della Minerva 1830.

norum revocato, paulatim adsuefaciendum est aegrum hujusce potus usui. Lac vaccinum vix emulsum seligitur, quamvis revera asininum et caprinum melius praestent. Sumat aeger ab initio uncias quatuor ad octo mane, et vespere vel solum, vel si eum fastidit, cum aqua mixtum. Dosis sensim sensimque adaugeatur et frequentioribus adhibeatur intervallis, id prae oculis habendo, quod Pellagroso potus quotidianus lac fiat. Si autem ponderis sensus, nausea, inappetentia, diarrhoea, borborygmi, melancholia, obesitas, vel pertinax idiosyncrasia illius usum vetarent, pro tempore suspendatur, vel dosis minuatur, vel quod consulto utilius expertum fuit, cum saccharo, vel eleosaccharo aliquo, decoctis vel infusis aromaticis individui gustatum suaviter adficientibus mixtum exhibere juvabit. Haec usque ad mensis Junii circiter protrahatur cura. Neque lactis usus interne solummodo suam manifestat utilitatem. Jam laudatus auctor lactis fomentationes et externe in loco nempe, ubi erythema suam sedem selegit, valde commendat. Instituat haec psychrolusia bis saltem de die, vel cum lacte puro, vel aquae mixto vel etiam cum ejus sero solummodo, nec cito post lavacrum partes ablutas diligenter cooperire negligat aeger, qui non obliviscatur, si e domo exire ei oportet, semper bene indutum esse debere, vel si, quod saepius fit, aestus nimius vetat, linteo saltem exiguo, quo nec pauperrimus caret, eas obducatur plagas adfectas, et bene caveat, ut eas ab ardentibus solis radiis, a foci

coquinarii, a ventorum inclementia et ab impuritatibus rite defendat. Absint unguenta, balsama, linimenta, et lotiones cum medicatis aliis substantiis, quae omnia vel inutilia vel plane nociva declaravit experientia.

A nonnullis aqua calcis inter remedia contra Pellagram magnae utilitatis recensetur, quae et eodem modo, quo lac adhiberi diximus, vel etiam cum ipso lacte mixta praebetur. Post ejus usum symptomatum morbosorum mitigatio, sensus peculiaris levitatis in toto corpore, appetitus auctus, oculorum et animi hilaritas, dolorum pacatio excepisse dicitur. Sed facillima praeparatio, praetium nullum, et usus non late acceptus exagerationis dubium circa exposita non omnino excludunt.

Inter therapeuticas indicationes et summi quoque momenti in hoc morbo erit cutis functionem ad normam revocare. Cum systema istud tantam cum organis internis, in Pellagra patientibus, affinitatem sustineat, cum uti vidimus saepe saepius, non solummodo cutis manuum et pedum sed quoque organum totum alia sub forma patitur, cum a functione normali vel laesa ejusdem et alia ei sympatice adnexa organa injucundum vel in morbosum trahi consensum noscimus, cum denique videatur, quod Pellagrosi instinctu quodam dicerem peculiari, quando maniaci fiunt, in aquis se immergere avidè cupiunt*), ita et sensibus non effugiet, quantum curae

*) Hydromania Strambis.

medicis incumbere debeat ejusdem statui prospicere.

Balnea sint tepida, et gradum 28. Therm. Réaum. non excedant. Teneritas vel aspredo cutis, aegri constitutio, et quidquid in eo contingit, tot sistunt criteria circa frequentiore, vel majoribus intervallis intercalandam eorum adplicationem. Si autem haec, vel loci, vel aegri peculiaris status causa, adhibere possibile non esset, psychrolusia lactea generosior instituat, cum quadam levi et grata perfricatione comitata. Harum benefica virtus in morbis inflammatoriis intestinorum jam extra dubitationis aleam experientia posuit, et tanta quandoque est earum in Pellagra efficacia, ut *Thounevel* ipse dixerit: „Ce „qu'il y a de certain, c'est, qu'on a vu cesser et „reparaître alternativement le delire, diarrhée „et d'autres symptomes dans l'état avancé de la „pellaragel sous l'usage continué ou interrompu „de ces fomentations.”

Haecce adminicula Pellagrosis persaepe feliciter auxiliari, hucusque casta docuit experientia; illis tamen, qui primum hac agrediuntur labe. Res tamen aliter se habent, si morbus vel remediis rebellis malignitate progreditur, vel per medici aut aegri negligentiam sibi, cum primum erupit, relinquitur, et vere sequenti, vel aliquo interposito, iterum in conspectum venit, secundum, vel tertium, ut ajunt, stadium ingrediens. Sub ejusmodi rerum statu talem plerumque phaenomenorum, numero et saevitia, in dies crescentium, catervam offert ut om-

nibus fere renitatur remediis, vel si interdum quoddam levamen ostendit morbus, medici spem facile eludit, quia illud momentaneum est, et fere nunquam perfecta sanatio visa sit.

Characterem peculiarem symptomatibus istis in stadiis assignare conati sunt auctores hinc atoniam aliqui, inflammationem alii, eretismum nonnulli, torporem et virium nervosarum a norma aberrationem denuo alii viderunt, ideoque nil certi adhuc quoad therapiam nobis statuere et quidquam positivi proferre fas est. Curam ergo simpliciter symptomaticam solummodo institui posse, cuique patet. Ea igitur ab initio in auxilium vocentur adminicula, quae jam Pellagrae incipienti et prodesse vidimus: vita nempe umbratilis, diaeta castigata, emetica, purgantia, et demulcentia. Sicuti phaenomena irritationis in organis digerentibus istis etiam in stadiis non desunt, iisdem succurratur remediis, quos jam antea suasimus.

Rebus se ita gerentibus Cel. Prof. *Fanzago*, cum statum solummodo atoniae consideret, qui revera phlogoseos signa saepe saepius excipit, ita tonicis et stimulantibus inter se diversimode copulatis, debilitati succurrit, inter quae Calamum, Quassiam elixiria, aquas aromaticas, ferrum, aquas soterias martiales, et corticem peruvianum, quam plurimum seligit, simulque diaetam nutrientem et vini usum suadet. Si haec omnia desiderato favent emolumento, et organorum pravam conditionem corrigere valent, cura lactea subinde jam adsignatis regulis iterum periclitanda erit.

Celeb. olim Professore*m Rasori* venaesectionibus hirudinibusque repetitis nec non praedlecto inter sic dicta controstimulantia pharmaco, Gummi guttae, Pellagras, in qualicunque fuissent stadio, sanasse, fama est. Perillustris Profes. *Tommasini*, quem nominasse jam laudasse est, cum diathesicam identitatem inflammationis comprobare studet, praemissis, quod neque segnities, neque antiquitas processus phlogistici, neque organismi conditio deterior facta, characterem inflammatorium mutare valent, ita se exprimit:

„Che più aggiungere potremo a dimostrare „che la flogosi quantunque lentissima, e di singolari forme vestita, è pur sempre una condizione di stimolo eccedente, se una Pellagra al „secondo stadio in C. R. fu guarita non senza „sorpresa pur nostra per mezzo di due salassi, „e per l'uso dell' acido muriatico e di polveri „antimoniali”? *).

Nec minus, quoad nervosorum symptomatum therapiam inter se conveniunt scriptores. Sectatores sententiae Prof. *Fanzagi* melancholiam sive maniam, quarum secundam vel chronica vel acuta esse potest, ex debilitate oriri affirmant, ideoque cardiacis remediis et nutrientibus, stimulantibus analeptis, et nervinis occurrunt. Adhibere praesertim illis placet camphoram, acetum camphoratum, opium, corticem Peruvianum, vel sola, vel invicem copulata. Innituntur isti observationibus Clariss. viro-

*) Prospetto dei risultamenti ottenuti nella Clinica medica dell' Università di Bologna. Anno 1820.

rum, uti *Sydenham*, *Locher*, *Pinel*, *Ferriar*, quorum juxta observationes in tali adfectione nervosa istam opponunt Therapiam. Alii plures contra, inter quos accuratissimus hujusce morbi observator et extispiciis cadaverorum edoctus nosocomii Trevisiani moderator, *Sebastianus Liberali*, maniam pellagrosam characteris palam inflammatorii declarant. Sistit secundum auctoris istius sententiam phlogosis in velamentis cerebri, in arachnoide praesertim, quae deinde ad medullae spinalis involucra sese extendit, ibique vel per sanguinis ad eam coacervati adfluxum, vel seri exinde per lentam crism effusi super medullam compressionem exercentis, paralysem, quae postea artuum inferiorum, intestini recti et vesicae energiam infringit, explicare studet. Nec obstat, ait ille, totius organismi debilitas ad phlogosim supponendam. Quantas nobis non praesentat quotidiana praxis phlogoses locales cum imminuto generali processus vitalis excitamento? haec deinde inflammatio eodem universali non fulcitur excitamento, et demum si remediis stimulantibus tentetur, evidenter exacerbatur.

Pellagrosorum in historiis, quas auctor refert, feliciter saltem pro tempore, uti putamus, sanatorum in omnibus adparatus antiphlogistici et quidem strenui adplicationem offendimus. Hinc pulpa tamarindorum, oleum crotonis Tiglii, saepius repetitum ad organa digerentia antagonistice irritanda, hirudines ad apophyses mastoideas, et in frontali regione, scarificatio-

nes inter scapulas, vesicantia ad nucham, sinapismi in regione dorsali et ad crura, digitalis cum calomelano, atque diaeta tenuis, curam integram maniae Pellagrosae juxta illum auctorem constituunt,

Rebus sub finem in melius vergentibus debilitatem paulatim stimulantibus, roborantibus, nutrientibus tollit, et cura lactea demum cunctam therapiam absolvit. Manias Pellagrosas hac methodo se felicissime semper tractasse confitetur auctor et unicuique laetum exitum pollicetur.

Nec balneorum, vel si ea instituere non licet, psychrolusiae lacteae usus frequens contemnendus erit in mania pellagrosa. Quale ab eorum usu expectetur emolumentum jam exposimus. Nec effugiat, aegrum eo momento, quo prima maniae indicia patefacit, sua confestim orbare libertate absolute oportere, ne in pejora ruat discrimina.

Localem quod erythematis curam attinet, si indolis magis inflammatoriae esset, cataplasmata emollientia proficiunt; si ad inertem magis inclinet naturam, commutentur haec cum leniter irritantibus, praecipue cum liquore mercuriali et solutione sublimati corrosivi: si in ulcera foeda, abit decocta roborantia quercus vel salicis, cum usu fasciarum juxta methodum Bayntoni optime quadrant: pro gangrena sacrali et aliis ars chirurgica suam vindicat partem.

Istis adminiculis hucusque Pellagrae succurrere edocuerunt auctores. Quid alia secundaria supervenientia symptomata requirant, quae mor-

bi decursum vel turbare, vel ejus characterem invertere, vel morbum ipsum ominosiorum reddere possunt in iisdem invenietur adminiculis quibus et alias chronicas adfectiones sublevare consuevimus. Symptomata, quae Pellagrae frequenter se associare solent, sunt: hydropes, scorbutus, convulsiones, haemorrhagiae, diarrhoea, dysenteria, febris hectica et marasmus. Istis omnibus mederi generalia therapiae praecepta docent.

P r o p h y l a x i s .

„Per toglier dalla radice questa malattia,” ait jam laudatus *Fanzago*, „il vero ed unico progetto „consiste nel cercare di prevenirla. A che giova „d’istituire uno Spedale apposito per i Pellagrosi „si massime se si tratta di un numero grandissimo „come è presentemente in alcune provincie? „A che giova il tentare, e ritentare varie maniere di cura e di rimedii negli spedali civili, se „già i poveri contadini entrano in queste case „d’umanità solo quando la malattia è moltissimo „avanzata e d’ordinario non più suscettibile di „guarigione? Essa del pari che tanti altri morbi cronici, allorchè e giunta ad un certo confine, e come dicesi al terzo stadio, sprezza per lo „più, e si ride degli sforzi ed ajuti dell’ arte. „Si otterrà dunque assai poco se non si studierà „di togliere possibilmente tutte quelle cause che „cospirano al suo procedimento, e se non si userà ad un tempo tutta la sollecitudine nell impedirne i progressi quando in qualche individuo „si presentano i primi segni forieri di essa.”

Pauca essent hic adhuc adjungenda; perspicacissimus auctor quod prophylaxim adtinet, omnia hic uno commonstravit obtutu. Et revera cum Pellagrae causae in agricolarum conditione ipsa, et eorum vivendi modo insita sint, neminem effugiet, quod ad morbum certe evitandum Insurbriae colonus nativos mores, vivendi genus, ipsumque solum mutare deberet. Istorum enterea sorti succurrere, causas tollere, et eorum malignitatem infringere studemus. Non tamen in absurda incidendum, uti quidam, qui Pellagrosos exiliare, Zeae Mays culturam prohibere, matrimonia Pellagrosis interdicere, proposuere. Morbi seminia, prophases, et morbum ipsum, non autem aegros e medio tollere opus est. Pagorum et oppidorum medicis oculatioribus ea ignota non manebunt, quae tantae cladi, origini auscultant, hinc neque ea omittenda quae morbi manifestationem coërcere, ac eum in primordiis reprimere possunt. Strenue et sollicite ergo morbi initia adgrediantur, atque aegrotantes de imminente periculo moneant; curis indefessis et philanthropica pietate agricolis mandata et consilia pervulgent, eosque edoceant ut causas evitare, vel saltem minus noxias reddere valeant.

Ab insolatione primum, cui se nudo capite, verno praesertim tempore, per horas impune se exponere posse credunt, caveant agricolae, et uti melius licet, cooperti labores rurales exercent. Auras tam mollis Austri, quam asperi Aquilonis perflantes, effugiant, pluviarum, nebularum et roris a madore se subtrahant. Domus

diligenter ab humiditate et impuritatibus mundaе habeantur, et ab externis atmosphaerae intemperiiis probe defendantur. Pane, qui ex Zea conficitur, parce utantur agricolae, vel eo solummodo ex granis perfectam maturitatem assecutis, vel cum optimo fermento, et aliquantulo tritici farinae commixto; neque eum in glebas tanto volumine informes reducant, nec ante perfectam fermentationem in furnum injiciant, qui crassis lignis nec, uti mos est, stipitibus et caulis herbaceis improbe exsiccatis ad incandescentiam perducatur.

Victus quantitate et qualitate congruus sit, nec interdum carniū et vini usus deficiat alternatio, ut corporis vigor laboribus fessus sustentetur. Hilaritas animi possibiliter prospiciat et faveat agricolis. Matres utero saltem gestantes et puerperae a duro mancipii jugo excipiantur, ut prolis vitae et necessitatibus succurrere possint. Pueri adhuc teneri difficillimis et gravioribus rurigenis non damnentur officiis. Mundi-
 tiem etiam corporis balneis vel natatu, et vestimentorum puritate conservare non negligent agricolae. Medicus, qui eorum saluti praeest, sollicitudine, solertia, et charitate hoc praestet officium, omnesque potentias nocentes multifarias ab illis tam sanis, quam aegrotantibus, vel huic cladi directe faventes, vel aliarum, quaecunque sint cachexiarum germina ponentes arceat. Sed quod magis magisque urget, praediorum conductores, pagorum Heri et rem publicam gerentes magistratus erga colonos animi ge-

nerositate faveant, ut miseri ab eorum subleventur aerumniis, ploranda mitigetur sors, et tanti excidii causas potiores e medio evellantur. Ne cladis haec extensione et pervicacitate pejora minitetur, praecaveat Clementissimus Caesar, Superi prosint.



L i t e r a t u r a .

- Fanzago F. L.*, Memoria sulla Pellagra del Territorio Padovano, umiliata agli illustri Signori Presidenti dello Spedale di St. Francesco di Padova. Padova 1789 in 8.
- — Ragguaglio di alcune relazioni presentate all' ufficio di Sanità di Padova 1804.
- — Paralleli tra la Pellagra, ed alcune malattie che più le rassomigliano. Padova 1792.
- — Sulla Pellagra Memorie. Padova 1815.
- Odoardi Jacopo*, Dissertazione d'una specie particolare di scorbutto recitata nell' accademia di Belluno il 18 Luglio 1776.
- Albera Gio. Maria*, Trattato teoretico-pratico delle malattie dell' Insolato di primavera volgarmente dette della Pellagra. Varese 1784.
- Strambio Cajet.* Observationes in regio Pellagrosorum Nosocomio factae in anno p^{mo} 1786.
2^o 1787.
3^o 1789 Mediolani.
- — Dissertazione sulla Pellagra Milano 1794.
- Frapolli*, Animadversiones in morbum vulgo Pellagram. Mediolani 1771.
- Zanetti Franc.*, Academica naturae curiosorum relatio de morbo Pellagroso. In novis actis Physico Medicis. Tom. VI. Norimbergæ 1775.

Videmar, De quadam impetiginis specie, morbo apud nos in rusticis nunc frequentiori, vulgo Pellagra nuncupata. Mediolani 1790.

Dalla Bona, Discorso comparativo sopra la Pellagra l'Elefantiasi de' Greci, e lo scorbuto. 8. Venezia 1791.

Soler, Osservazioni Medico-Pratiche che formano la storia esatta di una particolare malattia chiamata Pellagra. Venezia 1791.

Sartago, Aneddoti Patrii Nr. XXII. Venezia 1791.

Jansen, De Pellagrae morbo in Ducato Mediolanensi endemico. Lugd. Patav. 1787.

Gherardini Michele, Descrizione della Pellagra. Milano 1794.

Allioni, Ragionamento sopra la Pellagra colla risposta al Signor Dottr. Gaetano Strambio. Torino 1795.

J. P. Frank, Delecta opusculorum. Vol. IX. XII. in 8.

— — De curandis hominum morbis. Traduz. ital. del Commandoli. T^o. 4^o.

Zecchinelli Gio Maria, Alcune riflessioni sanitario-politiche sulla Pellagra. Padova 1818.

Belloti Giuseppe, Congetture sulla cagione efficiente della Pellagra. Piacenza 1817.

Moriz Josephus, ab Orbassano Dissertatio de Pellagra. Augustae Taurinorum 1818.

Lavacher, de la Feutrie, Recherches sur la Pellagre in 8. Paris 1806 dans les mémoires de la société médical d'émulation. T. VI.

Titius Salomon Constantius, Oratio de Pellagrae morbi inter Insubriae Austriacae agricolae grassante Pathologia in 4. Vitebergii 1792.

Aglietti, Relazione Academica sulla Pellagra. Venezia 1815.

Careno Luigi, Tentamen de morbo Pellagrae Vindobonae observato in 8. Vindobonae 1796.

— — Giornale Medico de Venezia. T. 9. P. 129.

Facheris Giacomo, Memoria sulla Pellagra. Nel suo Trat-

tato sulle malattie del Dipartimento del serio T. I.
P. 55 in 8. Bergamo.

Marzari, Lettera al Prof. Tiene. Treviso 1813.

— — Saggio Medico-politico sulla Pellagra o Scorbuto Alpino. Vicenza 1810.

— — Memoria sopra la Pellagra. Venezia 1815.

Cerri Giuseppe, Lettere sulla Pellagra all' ornatissimo Pietro Frank nel nuovo Giornale della più recente Letteratura. Marzo ed Ottobre. Milano 1792.

— — Lettera sulla Pellagra al Cittadino Giuseppe Brambilla. Nell' Effemeridi fisico-mediche. Milano 1804.

— — Lettera seconda al Dottr. Rezia in risposta ad alcuni quesiti proposti dalla Delegazione Medica del Dipartimento dell' Agnano intorno alla Pellagra. Nelle Effemeridi fisico-mediche. Milano 1805.

— — Trattato della Pellagra in 8. Milano 1807.

— — Lettere intorno alla Pellagra al chiarissimo suo amico Sig^r. Dottore Annibale Omodei.

Holland (Henri), On the Pellagra a disease prevailing in Lombardy. Dans le Transaction Medico Chirurgical. T. VIII. P. 317 in 8. London 1817.

Frank Ludwig, Bemerkungen über die stärkende Kraft warmer Bäder im Pellagra. In der Salzburg. Med. Chir. Zeitung 2. Band 7. Jahrgang 1795.

Schlegel (Julius Henricus Theophilus), Briefe einiger Aerzte in Italien, über das Pellagra in seinen Materialien für die Staatsarzneywissenschaft und practische Heilkunde. Jena 1807.

Hildenbrand (Franciscus Nob. ab), Annales Scholae Medicae Ticinensis. pars. p^{ma}. Papiæ 1826.

Guerreschi, Osservazioni sulla Pellagra. Nei Giornali di Parma Pag. 264 anno V. N. 56.

Thounevel, Traité sur le Climat d'Italie 1798.

Istruzioni, Catech. sulla Pellagra. Padova 1816.

Giornale, Della Minerva Pavia anno 1830.

Liberali Sebastiano. Sulla condizione flogistica della mania Pellagrosa. Lettere al Sig. Cav. Prof. Luigi Brera nei Giornali d'Omodei 1827 e 1828.

Strambio (Filius), Dissertazione sulla cagioni, natura, e sede della Pellagra Milano 1824.

Weber, J. B., Dissertatio inauguralis de Pellagra. Vindobonae. 1816.

Stoffela, P., Dissertatio inauguralis de Pellagra. Vindobonae. 1822.



Theses Defendendae.

I.

Ira prophasis frequentissima abortus.

II.

Trepanatio cranii nunquam instituenda.

III.

Pellagrae essentialis comes, est status irritativus fistulae gastro-entericae.

IV.

Psychrolusia multum in adfectionibus catarrhalibus, plurimum in Scarlatina commendanda.

V.

Difteritis neque cum *Croup*, neque cum Laringo-tracheitide confundenda.

VI.

Quo major in animalibus gangliorum numerus, eo major temperies.

VII.

Syphilis et cura Mercurialis possunt certe praecaveri, si ab omni initio pustula syphilitica cauterio destruat.

VIII.

Non datur Syphilis ex Blennorrhoea.

IX.

Post doctrinam magnanimitas Medico perquam necessaria.

X.

Calor et frigus non sunt objecta tactus, sed
Koenestheseos.

XI.

Pyuria chilosa Sanvagesii, et tabes chiluritica
Stollersii ad Diabetem saccharinum reduci
possunt.

XII.

Diabetis divisio optima illa cel. Prof. Rubini
in Epiphoricum, Pleonasticum, et Atreti-
cum recensenda.

